



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XIX. Persecutiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Et si totum consequi nequeas; tamen in rebus omnibus, quæ naturâ bonæ sunt, non parvum est lucrum, vel partem earum aliquam consequi. S. Gregor. Nyls. l. de vita Moyf.

Nemo perfectus, qui perfectior esse non appetit: & in eo quisque perfectiorem se probat; quod ad maiorem tendit perfectionem. S. Bernardus in Epistolis.

Miscellanea.

Tribulatio patientiam operatur &c. Rom. 5. 3. Etce, quibus ætatibus iustus perfectum roboratur in virum: in tribulatione, patientiâ probatione, spe. Tribulatio velut prima iusti viri concutit, & conturbat, infantiam. Sed

cum insenuerit ista patientia; ad in aora adolecentem, iam bonæ indolis tunc, erudit.

Tribulatio patientiam operatur. Patientia est, quæ Christi juvenem aptum probat esse virtutibus. Spes est, quæ virum perficit, & ad mensuram Christi plenitudinis indefessa perducit. S. Chrysol. l. 1. 10.

Verum lumen jam lucet. 1. Joan. 1. 8. *Verum*, id est, perfectum, plenum, divinum. *Erat lux vera.* Joan. 1. 9. id est, perfecta, & essentialis. *Ego sum vitis vera.* Joan. 15. 1. id est, perfecta. Joan. 6. Eucharistia vocatur *panis verus*, id est, perfectus; plene cibans, & satians. Cornelius in 1. Joan. 2.

TITULUS XIX. PERSECUTIONES.

§. 1.

Figura, Symbola.

Dominus in flamma ignis de medio rubi. Ex. 3. 2. Filius DEI in utero Virginis. Persecutio in Ecclesia Dei. Tribulatio in anima iusti, Hugo Card. hic.

Nigra sum. Cant. 1. 4. in pressuris persecutionum; sed formosa in decore virtutum. S. Isidorus hic.

Nolite me considerare, quod fusca sum. Cant. 1. 5. id est, nolite me constitutam in persecutione despiciere: astus enim tribulationem sustinui; & quasi decorem temporalis iucunditatis amisi. S. Iustus Orgel. hic.

Ignem veni mittere. Luc. 12. 49. Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 29. Maldonatus, per hunc ignem intelligunt, odia, dissensiones, tribulationes, & persecutiones ab infidelibus. Cornelius hic.

§. 2.

Persecutiones incrementum Ecclesiæ.

Num. 1.

Figura, & Symbola

Ex Veteri.

Aqua elevaverunt arcam in sublime à terra. Gen. 7. 17. Quia Ecclesia per tribulationes exaltatur, proficiens, & numero, & merito. Hugo hic.

Quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur. Exod. 1. 12. Vide, quam crescat adversis agitata virtus; quæ in prospectis languet, & marcescit. In Hebr. pro multiplicabantur, est erumpebant: sicut aqua, vel fluvius; quod magis arctatur, & concluditur; eò majori copiâ eluctatur; aggeres, obiceque, perfringit, & erumpit. Cornelius hic.

Dixit Sion: dereliquit me Dominus &c. Il. 49. 14. nunquid oblivisci potest mulier &c. Non est dubium, quin congregatio Sanctorum, quæ prius fuerat in Judæis, & à Domino derelicta. *Polyantha Sacra. Tom. II.*

lita est, ista commemoret; & voce lacrymabili conqueratur, se esse desertam. Cui respondit Deus, naturali utens similitudine: si potest fieri, ut mater sui obliviscatur infantis, & ad partum viscerum suorum non flectatur misericordiâ & ego obliviscar tui. Pls aliquid dicam: *Et si illa obliscata fuerit*, vincens mentis duritiâ iura naturæ; *ego tamen non obliviscar* creaturæ meæ; & Sanctorum animas semper in meo corde retinebo. S. Hieron. hic l. 13.

In Idumæam extendam calcamentum meum. Pl. 59. 10. Ecclesia loquitur: perveniam usque in Idumæam. Sæviant tribulationes, bulliat scandalis Mundus; *extendam* &c. usque ad eos ipsos, qui terrenam vitam diligunt; quoniam interpretatur *terrena*. Cujus rei calcamentum? nisi Evangelii. *Quam pulchri pedes &c.* Il. 52. 7. S. August. hic.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. Pl. 128. 3. Aquila, & Theodotion, transferunt: *araverunt peccatores*. Cur dicuntur arare, qui persequuntur? quia sicut ex oratione lata segetes, ita ex illis multiplices virtutes, oriuntur. Unde D. Chrysof. hom. ad pop. Antioch. vocat malos bonorum agricolas. Mendoza in 1. Reg. 1. 6. Annot. 6.

Vidua ejus benedicens benedicam. Pl. 131. 15. Vidua Christi dicitur Ecclesia: quia omni auxilio destituta mundanò, solam spem suam ponit in Domino; patiturque, quod vidua, improbitates malorum, direptiones crudelissimas impiorum; & tanquam maritali auxilio destituta, semper tacet, semper atteritur. Cassiodorus hic.

Filij Maris meæ pugnaverunt contra me; posuerunt me custodem in vineis. Cant. 1. 5. Una erat Christi vinea in Jerusalem; ipsa videlicet Ecclesia primitiva. At postquam persecutione facta temporibus B. M. Stephani, dispersi sunt omnes, per regiones Judææ, & Samariæ, præter Apostolos; contigit, ut plures essent vineæ, id est, pluribus in locis Ecclesiæ essent Christi, prædicantibus Verbum eis qui fuerunt huc, illucque dispersi. *Polyantha Sacra. Tom. II.*

fuerunt me custodem in vineis, vineam meam, non custodivi. Acti aperte diceret: hoc mihi acerbitas persequentium attulit; ut plurimarum essem custos vinearum, Ecclesiarum videlicet Christi. Non custodisse autem vineam, non ad mentem, sed ad locum, referendum est. V. Beda l. 2. hic.

Audite insula, & attendite populi de longè. Isa. 49. 1. Post vocationem reliquiarum Israel, & abjectionem in incredulitate populi permanentis, transit ad Ecclesias de gentibus congregatas; & eis, sub insularum nomine loquitur: quæ ita persecutionum insidiis, quasi maris fluctibus, patent; & ex omni parte saviente naufragio, tunduntur potius, quam moventur. S. Hier. hic l. 13.

Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci; & orate pro ea ad Dominum. Jerem. 29. 7. hæc Jeremias Hierosolymis commoratus scribit Dei nomine ad Hebræos, qui Babylone exulabant; ut pro ipsius Babylonis incolumitate Deum orent. Et rationem dat: *quia in pace illius erit pax vobis.* q. d. dum habueritis hostes incolumes, qui vos affligant; veram pacem possidebitis. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 8.

Ex Novo, & Patribus.

Ipsi verò dormiebat. Matt. 8. 24. Jesus, quamvis non dormiat, dormire tamen videtur, quando tyranni sæviunt, quando lupi in bonos insurgunt, quando boni vincuntur, & mali vincunt. Et quia non statim adjuvat, quia non cito laborantibus subvenit dormire putatur. S. Euseb. Emis. D. 4. Epiph.

Simile est regnum cælorum grano Sinapis. Matth. 13. 31. sicut granum Sinapis primâ fronte specie sui est parvum, vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circumferens, non indicans suavitatem. At ubi teri coeperit, statim odorem suum acrimoniam exhibet, cibum flammæ saporis exhalat; & tantò fervoris calore succenditur, ut mirum sit, in tam frivolis granis tantum ignem fuisse conclusum: ita & Fides Christiana primâ fronte videtur esse parva; vilis, & tenuis; non potentiam suam ostendens, non superbiam præferens, non gratiam subministrans: at ubi diversis tentationibus teri coeperit; statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem Dominicæ credulitatis aspirat; & tantò divini ignis ardore jactatur; ut & ipsa ferveat, & participantem sibi ardere compellat. S. Ambros. l. 1. hic de grano Sinap. S. Mater Ecclesia Spiritu S. roborata, per illam persecutionem, & Fidelium suorum necem; minimè detrimentum sustinuit: sed, more sinapis, quò magis atterbatur, magis augmentum accepit. Rich. à S. Vict. l. 2. c. 6. in Apoc. 6.

Cum autem creverit &c. Matth. 13. 32. Sicut hoc granum, quantitate permodicum, crescit in altum; sic Ecclesia in principio sui contempta, & numero parva, crevit in populum infinitum, seu Ecclesiam totò orbe

diffusam; quando *in omnem terram exivit sonus*, id est, prædicatio Apostolorum. Dionys. Carth.

Vidi septem candelabra aurea &c. Apocal. 1. 12. Subtilius discutiendum videtur; cur ipsæ Ecclesiæ candelabris aureis comparentur? Aurum per ignem probatur, malis extunditur; & in candelabri formam producitur; & instrumentum ignis, & luminis, efficitur. Et Ecclesiæ tentationibus probata, rursionibus persecutionum extenuata, ardent igne sapientiæ cælestis, & lucent operer charitatis. Rich. à S. Vict. l. 1. c. 4. hic.

Solet generosa prudentia violentiæ resistere; non secus ac flamma à vento agitata, tantò plus accenditur, tantò vehementius inflatur. Et hoc non solum consideratione didicit propriâ; sed etiam ex prioribus cognoscere potuisset persecutionibus; quæ Christianismum honoratorem ferè, quàm imbecilliolem, reddidit: quoniam ijs animæ magis in pietate sunt obfirmata, & per discrimina, tanquam ferrum candens aquæ vi temperata, ac solidiore redditæ. S. Gregor. Naz. or. 1. contra Julianum.

Quemadmodum ignis interdum consopitus, suisque cineribus obrutus, flatu agente recandescit; & tantò vehementius urgetur, tantò efficacius convalescit: sic novæ Ecclesiæ bona indoles, tantò plures, & majores adversantium lites perulit; tantò magis profecit. S. Rupertus l. 5. in c. 5. in Joan.

Sicut frumentum seminatum, & in terra mortuum, in multiplicem resurgit fructum; ita per sæpe paucis, pro testimonio Fidei morientibus, multa millia, rationabilem patientiam illorum considerando, in Christum crediderunt. De quibus certè dicas; quia priores illi morientes istorum patres, sive matres fuerunt; eosque tanquam filios, & filias suò sanguine pepererunt. Rupertus Abb. l. 2. c. 17. de glorific. Trinit. &c.

Num. 2.

Testimonia ex Novo.

Absque Synagogis facient vos. Joan. 16. 2. Glossæ ambæ: q. d. sed ne timeatis solitudinem: quia tot acquiretis, ut pro eis videamini ad gloriam DEI occidendi. Ejectis è Synagoga Discipulis, hoc vult Dominus esse solatio; quòd à Judæorum consortio exclusi innumeros in Ecclesiam adducturi sint. Did. Nis. D. infr. Oâ. Asc. 5. 3.

Et Mulscabatur numerus Discipulorum in Hierusalem. Act. 6. 7. Vide, oro, quomodo creverit multitudo: post tentationes tunc crevit, non antea, S. Chrysof. hom. 14. hic. Cur in prima concione convertit Petrus tria millia. Act. 2. 41. Actor. 4. 4. verò quinque millia? Resp. in prima solum quidam obmurmurantes dixerunt: *quia musto pleni sunt isti.* Act. 2. 13. At hic totus senatus se opposuit

posuit contra Apostolos; Seniores, & Magistratus, iniecerunt in eos manus, in carcerem tradiderunt. Quia, quod plures persecutiones, tanto magis crescunt Christiani. Sylveira in Act. 4. q. 2.

Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia. Act. 8. 1. Nisi à cade Stephani populus Judaeorum in Apostolos seversisset, forsitan solis Hierosolymis Evangelii gratia inclusa esset: nunc verò agitati à Judæis, alius aliò gentium per orbem dispersi sunt. S. Gregor. Nyss. orat. de S. Stephano.

Divinà agente providentià, ipsa dispersio Ecclesie Hierosolymitanæ occasio fuit plures construendi Ecclesias. Unde quod nostri Codices habent: *dispersi sunt, Græcè, disseminati sunt.* Act. 8. 1. V. Bedal. 2. in Cant. 1.

Ex Patribus.

Plures efficitur, quoties metimur à vobis: Semen est sanguis Christianorum. Cum damnatur à vobis, à Deo absolvimur. Tertull. Apol. adv. gent. in fine.

Augetur Religio Dei, quanto magis premiur. Lactantius l. 5. in fit. div.

Nulla pars Mundi ab Evangelio vacat Christi, ex omni gente, ex omni conditione, adaptantur quotidie millia senum, millia juvenum, millia parvulorum; & effectibus gratiæ Christianæ etiam ipsa, quibus Mundus atteritur, arma famulantur. S. Ambros. l. 1. c. 10. de vocat. gent.

In tribulationibus fundatur Ecclesia, in tempestatibus, & procellis; in sollicitudinibus, & morore; in rebus adversis; & in fluminibus, præparatur. Id. in Pl. 48.

Fundendo sanguinem; & patiendo magis, quam faciendo, contumelias, Christi fundata est Ecclesia. S. Hieron. ep. 62. ad Theophilum adv. Joan. Hieros.

Lapidati, occisi, fugati sunt. Et cum inde, tanquam ex uno loco, fugarentur, quasi ligna ardentia igne divinò totam Mundi Syllam accensam, fervore Spiritus, & lumine veritatis, impleverunt. S. August. in Pl. 30. de Apostolis.

Sparsus est Sanguis justus: & illò sanguine, tanquam seminatione, per totum Mundum facta, seges surrexit Ecclesie. Id. in Pl. 39.

Quomodo manifestum est, quòd meliorem omnibus sub cælo Fidem nos Christiani credimus? Primùm, quòd non invenimus ab initio Seculi gentem aliam inter omnes gentes, tot, & tantis, temporibus impugnatam, & tamen non deletam; præter hanc solam Christi fidem. Secundùm, quòd nullus Rex Christianorum aliquibus barbaris Infidelibus traditus est in mortem; etiam tot nationibus, ac gentibus adversus Regnum bella gerentibus. Quin imò non solum Regem non opprimere, sed nec imaginem suam de monetis, & numismatis, delere cum cruce, valuerunt. Et hoc ipsum, quod in omni genere creditur Evangelium Christi, est testimonium infallibile; quòd non sit alia Fides verior sub cælo. S. Athanasius Alex. lib. Quæst. q. 40.

Polyant. b. Sacr. Tom. II.

De terrenis cælestia prodeunt, de pœnis magna gignuntur; & temporale donum in præmium transit æternum. S. Leo P. l. 2. de jejuniis. Sept. mens.

Sicut plantæ rigatæ magis crescunt; ita & fides nostra oppugnata magis floret; & seditio-ne agitata incrementa majora sumit. Neque horti aquis irrigati ita germinant, & fecundi sunt; ut Ecclesie; si Martyrum irrigentur sanguine. S. Chrysost. l. in Juveninum, & Maximum MM. Tyranni, Ecclesiam, insectando, firmiorem etiam ipsam reddiderunt triumphis magis magisq; compactam, & corroboratam. S. Greg. Naz. carmine ad Episcopos.

Fremebant gentes irascebantur populi, sævi-ebant reges, & Potestates contradicebant; super-stitutionis, & totius Mundi, reluctabantur erro- res. Sed de resistentibus, furentibus, perse-quentibus, populum suum Christus augebat: ac per mortem Sanctorum roborabatur Fides, vincebat veritas. P. Prosper Aquit. l. 2. c. 15. de vocat. gent.

Ecclesia novit beneficiò Domini triumphare de suis cladibus, ingravata persecutionibus: si- quidem afflictionibus semper augetur, sanguine Martyrum rigatur, tristitià magis erigitur, angustia dilatur, fletibus pascitur, jejuniis reficitur: & inde potius crescit, inde Mundus des- cit. Cassiodorus, Prologo in Pl.

§. III.

Persecutiones justus præ impio patitur.

Num. 1.

Figura, & Symbola.

Descenderuntque volucres super cadavera &c. Gen. 15. 11. Nunquam Abrahæ aut epulanti, aut nubenti, aut coacervanti ex gregibus opes, adversati sunt accipitres. Ubi verò triennem vaccam Domino sacrificavit in ara, mox vultures adfuerunt. Quoties in domo Abrahæ saginatos putas vitulos, ad epularum delicias jugulatos? quot occisos pullos? nullà volucrum invasione. Semel litat cum ariete pullum; & statim lucta inicitur cum volucris. Oliva l. 5. Strom. §. Surrexi, ut aperirem dilecto.

Oderant filios Israel Egyptii. Exod. 1. 13. Causa præcipua ex disparitate cultus. Egyptii enim colebant solum Apin, seu bovem: Hebræi adorabant verum Deum. Sylveira in Act.

7. 19. *Congregati igitur ascenderunt quinque reges &c.* Jos. 10. 5. Quinque reges concitârunt contra se Gabaonitæ; quia transfugerunt ad Israel. Orig. hom. 11. in Jos. cum anima humana verbo DEI se sociaverit, dubitari non debet, statim se inimicos habituram: & eos, quos habuerit antè amicos, in adversarios esse vertendos. Idque non solum patet ab hominibus se speret, verum etiam de contrariis virtutibus, & spiritualibus nequitis, id omnimodè pro certo sciat. Et ita fit; ut

lil 2

qui

qui amicitias expetit JESU, multorum sibi sciat inimicitias tolerandas - oppugnantur ergo etiam nunc Gabaonitæ cujuscunque modi sint, propter amicitias JESU. Apud Naxera in Jos. 10. §. 19.

Si communicabit lupus agno aliquando; sic peccator justo Eccl. 13. 21. Lyran, dicitur peccator lupus; quia semper infidiatur justo.

Aquila grandis magnarum alarum-venit ad Libanum. Ezech. 17. 3. Quid actura? ut rapiat, & depopuletur. Væ myricis! væ buxo! & elleboro! Falleris: has ales arbores non violabit. Cedrus laceratur; nec cedri truncus eroditur, sed medulla. Summitatem frondium ejus evulsit. Præstat oleastrum esse, quam cedrum: quò fueris putridior, sterilior, & nocentior; eò ejus securior ab injuria. Viret taxus in Libano, discerpitur cedrus. Oliva fer. 3. D. Pals.

Ecce motus magnus factus est in mari. Matth. 8. 24. Cur illi, qui Christum sequuntur, exagitantur? ratio est: quia, quicumque Christum in aqua, & altò Religionis mari, sequi desiderat; tacitè carpat, & coarguateos, qui in terra sunt desides. Besseus D. 4. Epiph.

Nura. 2.

Exempla, & testimonia.

Ex Veteri.

Iratusque est Cain vehementer. Gen. 4. 5. Vide, quàm sit homini scelestò gravis, & molesta virtus, probitas, pietas, & innocentia bonorum; quàm oderint impii pastorem Abelem, Doctorem scilicet; qui magis vitâ, quàm linguâ, illorum improbitatem coarguat, & frangat exemplò illorum cupiditates. Ideo ait S. Ambros. l. 1. de Abel c. 6. Ægyptiis abominationi erant pastores ovium. Omnes enim, qui corporis dediti passionibus, & voluptatibus indulgent suis, disceptatorem Verbi DEI, doctoremque virtutis, quamdam execratione declinant. Fernandus hic Sect. 6.

Collidebantur in utero ejus parvuli. Gen. 25. 22. Nondum nati, & jam bellatores. Quæ dissidii causa? Esau scilicet vitii, Jacob virtutis personam agebat. Non potuit virtutis sine certamine concipi, nec sine victoriâ nasci. Naxera in Jos. 10. §. 19.

Oderat semper Esau Jacob pro benedictione. &c. Gen. 27. 41. Quemadmodum Esau persequeretur Jacob; sic filii sæculi hujus persequuntur filios Sæculi illius. Auth. Imp.

Vacant enim. Ex. 5. 8. Pharao in Israelitas tunc sæviit immaniùs, cum illi de victimis cogitare coeperunt. Oliva fer. 3. D. Pals.

Dixerunt ad Joas: perduc filium tuum huc, ut moriatur: quia destruxit aram Baal, & succidit nemus. Judic. 6. 30. En, cur in Gedeonem nimbus odij se exoneret. Si scortaretur adolescens, nemo mutiret: in illum conspirarunt Madianitæ innumeris; quòd monstra sustulerit. Judic. 7. 12.

Saul, cum mitis, & dejectus in oculis suis,

esset; & virtutum præstantiâ a Deo, tum lauro, tum sceptro, destinaretur, audivit. 1. Reg. 10. 27. *num salvare nos poterit iste? & desperaverunt eum.* Ubi verò flagitiorum omnium sentina effectus est, obsequentem sibi Israël à melle prohibuit, 1. Reg. 14. 24. Oliva l. 5. Strom. §. Surrexi ut aperirem &c.

Et ait Achitophel ad Absolon: ingredi ad concubinas patris tui: ut, cum audierit &c. 2. Reg. 16. 21. Quò ejus scelestior, eò ejus cohortibus gravior. Oliva fer. 3. D. Pals.

Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio. Pl. 101. 7. Pagninus & alij, vertunt: factus sum sicut bubo. Scilicet postquam animum adjecti ad penitentiam; & Mundo renuntiare cœpi; omnes me, ut bubonem, persequuntur. Did. Nifs. fer. 2. Dom. Palm. §. 4.

Abominantur impii eos, qui in recta sunt via. Prov. 29. 27.

Surrexi, ut aperirem dilectò meo: manus meæ stillaverunt myrrham. Cant. 5. 5. I, pernega, iis persecutionem impendere, quibus placet sequi JESUM. Necdum sponsa ostium domus suæ Christo reseraverat; & jam manus ejus myrrham exsudant. Quid illâ fiet, si non exurgat tantum, ut excipiat sponsum; verum & circumcursuet, ut eum exploret? jam non è digitis myrrha, sed è vulneribus cruor, emanabit. Oliva l. 5. Strom. §. Surrexi &c. Daniel ad leones damnatur; cur? oravit. Sulfanna saxis destinatur; quam ob rem? pudori oppignoravit fidem. Abimelech ad necem poscitur; quò crimine? Davidem pavit. Abel mactatur; quid flagitii admisit? litavit. Exulat Elias; quâ sceleris invidiâ? expiata à sacrificalis Samaria. Id. ib.

Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris. Sap. 2. 12.

Et remigabant viri &c. Jon. 1. 13. cognoverunt enim viri quòd à facie Domini fugeret. v. 10. Tunc placuit, cum se Numinis transfugam dixit. Miserti sunt ejus, qui peccavit: & quem fortè infontem miserissent, authorem tanti discriminis servare conantur. Oliva fer. 6. D. 4. Quadr.

Ex Novo.

Magdalena.

Quid molesti estis huic mulieri? Matth. 26. 10. Diu peccat Magdalena; & nemo adversatur: convertitur; & nemo non de ea loquitur. Prosternitur ad pedes JESU, & adversarios patitur: accurrit ad caput ejus, & lacertur: plorat; peccatrix dicitur. Seu lacrymas, seu unguenta, effundat; compescere non potest susurriones; Phariseos, & Apostolos, infestos habet. Oliva t. 2. Strom, §. quid molesti &c.

Magdalena foetere tum stardò coepit, cum illò JESUM unxit. Quamdiu se unguentò obliniit; ornata, non prodiga, habebatur. Præstabat in cœna Simonis inebriari, quàm obsequi. Id. fer. 3. D. Pals.

An

An non Magdalena sumptus majores, & vanissimos quidem, fecit in unguenta, liquores, & odores, quos sibi ipsi, ut idolo, adolevit? ad hæc certè trecenti denarii facis non erant. Quantum de Moscho, ambræ, & balsamo; quantum succi odoriferi, in solos cinnos insumpsit? quanta auri copia, gemmarum luxus? an tamen ullus contra eam infremuit? an in faciem prodigam vocavit? Cùm autem exiguum vanitatis suæ tributum Christo in donum offerret; en tibi subitè calumniæ, & fremitus. Segneri l. 8. die Jov. Dom. 1. Quadr.

Videns Pharisæus &c. Luc. 7. 39. E regione mala bonis obsistunt; & semper è vestigio contra bonum aliquid mali confurgit, non tamen gratis, atque steriliter; sed sæpe ut bonum eluceat per amplius, cùm superaverit, probetur ex pugna. Sim. Caff. l. 9. c. 29.

Num. 3.

Alij.

Caput Joannis Baptistæ. Marci 6. 24. Ad dit Baptistæ: qui prædicabat baptismum poenitentia. Solent iniqui inde odisse Sanctos, unde maximè obligantur: quia scilicet eis viam salutis ostendunt, scelera arguunt &c. Sylveira hic c. 32.

Ejecerunt eum extra civitatem. Luc. 4. 29. Non patitur impietas pios, iniquitas justos non sustinet: & quietem non suscipit, quousque abjecerit, quod sibi videbatur adversum. Exilium patitur justus ab impiis; & extra reproborum conventum semper expellitur bonitas. Et, ut agendorum cura sit liberior, propellitur, qui vellet arguere. Sim. Caff. l. 9. c. 13.

Cæcus secus viam. Luc. 18. 35. Est Christianus existens in peccato mortali, quia non est in via. Quando autem peccator, id est, cæcus, reducit se ad viam, id est, ad Christum, qui dicit: *ego sum via*, & incipit clamare; statim reprehenditur. Ille defectus est hodie in Mundo: quamdiu homo est secus viam, id est, in peccatis, mendicans Mundana, & temporalia; nullus curat illum reprehendere; sed magis applaudunt illi: sed si dat se devotioni, & bonæ vitæ, statim redarguitur. Et, quod fortius est, dicit textus: *Et qui præibant.* Non dicit, qui sequebantur, vel comitabantur: quia majores in scientia, dignitate, & officio, sunt primi ad reprehendendum eos. S. Vinc. Ferr. l. 1. Dom. Quinq. Aures viatorum clamoribus cæcus obtundebat, stipem mendicans; quod cùm semper ageret, nemo objurgavit. Transiit à cupiditate vocem ad salutem, imploratque semel tantum pro luce Jesum: *Fili David miserere mei!* mox eum viatores compefcuere. *Et qui præibant.* Cur filere eum nunc jubetis, quem scitis semper clamasse? Clamabat olim, sed mammonæ; nunc Christum inelamat: non clamoris tædet, sed implorati. Olival. 1. Strom. §. Deest panis &c.

Sabbatum est; non licet tibi tollere grabatum. Joan. 5. 10. Trigiata octo annis jacuit

paralyticus in lecto, quem non aspicere dignabantur Judæi: cum primum autem sanitatem recepit, aiebant: *Sabbatum &c.* Misere hic homo nec unum habuit hominem accurrentem, dum in lecto jacebat; sanatus à Domino nullos invenit non juvantes, sed impeditentes. Did. Niff. fer. 2. D. Palm. §. 4.

Adducunt eum ad Pharisæos. Joan. 9. 13. Quamdiu hic homo cæcus existeret, nemo cum eo contendit: ut autem ejus oculi aperti sunt, omnes eum persequuntur, omnes eum supplantare conantur. Dicz. fer. 4. D. 4. Quadr.

Quia de Mundo non estis - propterea odit vos Mundus. Joan. 15. 19. Quare odit? quia totus in maligno positus. 1. Joan. 7. 19. Vos autem in via bonitatis electi. A dissimilibus bonis est odium; à dissimiliter viventibus inferitur persecutio. Sim. Caff. l. 12. c. 11.

Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens. 1. Cor. 3. 18. Salvianus l. 6. de Provid: hæc est dicere: si quis vult esse sapiens, sit bonus: quia nemo verè sapiens, nisi verè bonus. Cur Salvianus bonum vocat, quem Paulus stultum? Si Mundi audias stylum, soluta difficultas. Mundus enim probos stultos vocat, & velut insipientes contemnit: nam idem est bonus apud Deum, ac stultus apud Mundanos. Castillo Illat. 215.

Mibi Mundus crucifixus est. Galat. 6. 14. Qui cum Deo pacificus est, nullius inimicitiam metuit: tutus enim est in protectione, & misericordia Dei; quæ promissa est, & manet super Israel Dei. S. Ambros. hic. Non solum inquit mortuus Mundo, sed & crucifixus. Omnia, quæ Mundus amat, crux mihi sunt: delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes.

Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. 1. Petri 4. 14. Si quis unquam cachinnos, & ludibria, passus est, Noë fuit. S. Chrysost. hom. 3. in Gen. verisimile est, eum subannatum, & irrisum ab omnibus. Habebat in medio populi scelerati, & protervi. Licet fortè initio terribi sint nonnulli, cùm novus propheta Noë vicinum Mundi interitum ex Dei mandato nuntiaret. Cùm autem viderent unius, duorum, trium, imò centum, annorum, serie evoluta, minas diluvii in casum recidere, & successu carere; Noe verò nihilominus fabricæ suæ strenuè insudare; arcæ certatim circumfusi in quot non cachinnos prorupere: ô, inquebant, te senem bis puerum! ô prophetam mendacem! Cùm verò illum postea sudò, ac serenò, die navim ingredi videret; tantò animalium, & bestiarum, exercitu præeunte; tunc irrisiones, & ludibria crevere. Ecce, clamabant, senem delirum! qui, cùm aurâ liberâ, cæloque serenò, frui possit, se ipsum voluntario carceri mancipat. Pulchrum sanè consortium lupos inter, & urfos! quæ cætenæ tot belluas continebunt, nè impetu factò miserum discerpant? O fatuum! timet undas! tigrides non metuit, nè suffocent. Cùm verò post septem dies, laxatis cæli cataractis viderent delabi pluvias, intumescere alveos, inundare flumina, effundi maria, valles abscondi,

montes aquis æquari; ð quam subito alia rerum facies successit. Fluctuabat in novo Oceano secura, & gloriosa Noe arca, inter merforum ejulatus, & clamores. Noe verò in hac miserorum clade non insultabat illuforibus, nec eorum interitu exultabat; sed pereuntibus intimè condolebat. Talis etiam erit fors vestra, si maledicas linguas æquò animò tuleritis. Nunc quidem vos ridet, & disteriis laceffunt &c. Segneri f. 8. die Joy. D. i. Quadr.

Et blasphemaris. Apoc. 2. 9. Rich. à S. Vict. quoniam cœtui malorum semper est odiosa bonorum vita; & quem Deus commendat, sermo pravorum blasphemat; rectè subjungit: & blasphemaris ab his.

Ex Patribus.

A primordio justitia vim patitur: statim, ut coli cœpit Deus, invidia religio facta est. Tertull. l. Adv. Gnost. c. 8.

Perversorum derogatio vitæ nostræ approbatio est: quia jam ostenditur; nos aliquid justitiæ habere, si illis displicere incipimus, qui non placent Deo. S. Gregorius hom. 9. in c. 2. Ezech.

Sancta anima, divini amoris spiculò vulnerata, cum anhelare in Deo cœperit; cum ad supernam se patriam, per desiderium extendit; ad tentationem ei vertitur, quidquid in hoc sæculo amicum antea, blandumque putabatur: quia, qui peccantem amare consueverant, rectè viventem crudeliter impugnant. Id. in Pf. pœnit. Pf. 31. 7.

Qui domesticus Dei est, exul est Mundo: qui conversatur in celestibus, peregrinus est terris. S. Ambr. in Pf. 118. Actor. 7. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ.

Quemadmodum justus latificat cor innocentium, cum videtur; ita & impii justorum cognitione torquentur, quia vel tacitis sanctorum moribus arguuntur torquet castitas incontinentiam, avaritiam liberalitas; impietatem fides. Id. ib. Octon. 10. Manus tuæ fecerunt me. Ante finem.

Cum cœperit homo Christianus cogitare proficere, incipit pati linguas adversantium. Quicumque illas nondum passus est; nondum proficit: quicumque illas non patitur; nec conatur proficere. S. August. in Pf. 118.

Bonos Christianos, volentes facere præcepta Dei, Christiani mali, & tepidi, prohibent: clamant tamen illi non deficientes. Cum enim quisque Christianus cœperit bene vivere, Mundumque contemnere; in qua sui novitate patitur reprehensores frigidus Christianos. S. August. f. 18. de Verb. D.

Non potest accidere, omnino non potest; ut, qui virtutem diligenter exequitur, nunquam plurimos acquirat inimicos. S. Chrysof. hom. 15. in c. 5. Matth.

Furi lux inimica est, molestus est justus, peccantibus etiam solus apparet; gravis etiam si spectetur. Non enim ferunt illius radios: sicut nec solis jubar, qui oculorum morbò tenetur. Quin gravis est multis malis, etiamsi audiat solum. Id. hom. 28. in ep. 2. Cor. 12.

Non potest bonus non esse, qui bonis placet: nec minus validum argumentum mihi videtur, quòd bonus sit, si malis è regione displicet. Bernardus ep. 248.

Gratulamur, iisdem nos displicere, quibus & Deus non placet. S. Paulinus ep. 6. ad Severum.

Mundus Deo contrarius, cœlo dissimilis, virtutibus oppositus, sanctitati inimicus, & piis mentibus onerosus. S. Laur. Just. opusc. de inter. conflictu c. 1.

§. IV.

Persecutiones ferenda, quia breves.

Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. Pf. 124. 3. q. d. non sinet Providentia Dei justos à tyrannis diu vexari. Rupert. l. 7. de glor. Filii hominis: quid est, non relinquet? nisi, diu durare non permittet. Recordamini priorum, ac novissimorum, quicumque virgam suam, id est, potentiam suam elevarunt super sortem justorum, ad affligendos eos, qui ad vitam æternam prædestinati sunt; non diu durarunt. Nolite timere: quia non tam diu durabit virga hæc, ut necessariò extendant justis, quasi auxiliò destituti, ad iniquitatem manum suam; sed citò frangetur, & in ignem mittetur, ut ardeat. Sylveira in Act. 16. q. 12.

Quasi tempestas transiens non erit impius. Prov. 10. 25. q. d. impius & similis procellæ, & turbini transeunt: quia licet ad tempus, instar tempestatis, terribilis sit hominibus; non diu tamen subsistit; sed subito è vita tollitur. Sic de Nabuchodonosor Jer. 4. 13. *ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus ejus.* Et de Antiocho, Dan. 11. 40. *quasi tempestas veniet contra illum Rex Aquilonis.* Et de Cyro II. 21. 1. *sicut turbines ab Aphrico &c.* Cornelius hic.

Cum venerit (Antichristus) oportet illum breve tempus manere. Apoc. 17. 10. Rupertus l. 10. in Apoc. terret nos magnitudine adversitatis; & refovet de brevitate temporis.

§. V.

Motiva alia.

Ex Veteri, & Novo.

Egressum est cornu unum modicum, & factum est grande &c. Dan. 8. 9. Ecce tibi cornu modicum, & magnum, dicitur idem tyrannus: nimirum inferens parva, & magna, damna: parva, dum sævit in corpora, illæsis animabus; magna, dum vitam æternam eripiebat aliis, miserè trahens in idololatriam. Bæza t. 3. l. 14. c. 22. §. 1.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Matth. 5. 10. Multi propter suos excessus castigantur: qui volentes seipsos excusare, & quali beatificare; allegant istam Scripturam; cum ipsi condignam luant disciplinam propter suam malitiam. Veruntamen, si quis excedit, & poenam sibi insuetam pro culpa

culpa sua æquanimiter tolerat; etiam ipse quodammodo beatus esse videtur. Quamvis enim non patitur propter justitiam suam, tanquam propter causam, videlicet alios ad persequendum merentem; patitur tamen propter causam finalem; videlicet, ut sua culpa per penam ordinetur, & Dei injuria vindicetur, amissaque gratia reparetur. Dion. Carthuf. hic. Isidorus Clarius l. 2. orat. 17. quærit, cur hæc octavo loco sit posita? & respondet: hic illud accidisse videtur, quod in Musicis: ut, cum ad septem voces progressum est, non possit nova vocis accessio fieri; sed, quæ octava additur, cum prima ita conveniat, ut non duæ, sed una vox esse videatur. Paupertas, & persecutio temporalis, forores sunt; & eis claves regni cælorum, non tantum promissivè, sed possessivè conceduntur. Hujusmodi autem ratio est: quia Evangelica paupertas nihil habet, quod Mundi sit: temporalis autem persecutio potest totum Mundum ab hominè auferre. Sed quia providentissimus creator & gubernator, nullam creaturam sine loco fecit; cum paupertas, & persecutio, in Mundo locum non habeant; ideo eis possessoriè ex nunc cœlicas sedes dedit. S. Bernardinus f. 3. de 8. beatis.

Disputans in schola tyranni cujusdam. Act. 19. 9. Id est, juxta Lyranum, Cajetanum, principis, aut viri nobilis. Cum multi, & magni, insurgunt contra Paulum, ipse se recipit ad aulam principis. Nam, si dantur aliqui magni, qui Sanctos persequuntur; præbet Deus alios principes, qui eos protegant. Fuerunt principes, qui Jeremiam c. 37. 14. cæsum miserunt in lacum; providit alios principes, qui eum de carcere tulerunt. c. 39. 13. Sylveira hic q. 4.

Noli timere: ego sum primus, & novissimus. Apoc. 1. 17. Christus hic significat, opus Ecclesiæ à se inchoatum per quasvis tribulationes, & persecutiones, tyrannorum consummaturum: Ut ita Fideles in eis forti, & constanti; animò sine, nihil timentes: scientes; quod Christus, qui est primus, & novissimus, eis tam initium, quam finem, dabit. Sylveira hic.

Fui in insula &c. Apoc. 1. 9. Rupertus: cui negabatur terra, cælum apertum est. Exemplum est ergo omnibus Sanctis, quod, quanto magis in freto præsentis sæculi affliguntur, tanto amplius illis secreta cœlestia manifestantur. Apud Sylveira hic.

Ex Patribus.

Cum ex prælio hujus vitæ æternæ gloriæ victoria nobis præbeatur; qui contra nos ea bella innovant; quibus ad æternam requiem

ducimur; profectò nobis magna servitia impendunt. S. Gregor. l. 4. Expos. in 1. Reg. c. 8.

Citò fides inexercitata languescit, & crebris otiosa tentatur incommodis. S. Ambros. l. 11. in Pl. 118. Octon. 11. omnia præcepta tua veritas &c.

Recusas esse in corpore, si non vis odium Mundi sustinere cum capite. S. August. tr. 87. in Joan.

Propter Deum ista perpeteris; quia scilicet legem ejus audisti. Hoc quò tandem dignò honore pensandum est? quibus diadematis conferendum? Mihi verò magis proveniat inimicitias sustinere propter Deum, atque contemni, quam vel à cunctis regibus honorari. S. Chrysol. hom. 18. in c. 5. Matth.

Verum è civitate ejicient. At non etiam ex ea, quæ in cælo sita est: hoc si potuerint efficere hi, qui nos invisos habent, verè bellum inferent. Quamdiu autem minime potuerint; guttulis aquæ nos petunt; aut ventis feriunt; aut insomniis ludunt. S. Gregor. Naz. or. 18.

Nisi diabolus Christianos persecutus fuisset, ac adversus Ecclesiam, bellum suscepisset; nullos haberemus Martyres: iis autem non exantibus; mœsta, ac nihil hilaris, festaque, vita nobis ageretur. Quid enim solennibus hisce conventibus comparari queat? S. Asterius Ep. Encom. in SS. M M.

Miscellanea.

Surrexit interea Rex novus super Ægyptum. Ex. 1. 8. Rex verus est Deus; novus, diabolus: qui Fideles afflixit 1. violenter per decem Romanor. Imperatorum persecutiones. 2. Sapienter, per Philosophos; & hæreticos. 3. astute, & blandè, per illecebras, & voluptates; ut jam facit. Cornelius hic.

Tradet autem frater fratrem. Matth. 10. 21. Domesticam persecutionem post illam annuntiat affuturam; quæ cunctis videtur esse crudelior; & difficilior ad cavendum; & pœnosiior ad tolerandum. Sim. Cass. l. 9. c. 20.

S. Augustinus scribit l. 2. c. 3. de Civit. vulgare fuisse proverbium; pluvia defecit; causa Christiani.

Cupiditatibus, ac voluptatibus, blanditur caro, ut sæculi sectemur illecebras; quod est durum persecutionis genus. Omnibus quippe his, pro amore divinitatis; repugnare viriliter, Martyrii perducit ad palmam. S. Laur. Just. l. de cont. Mundi c. 6.

Persecutores perniciosissimi sunt, Caro, Mundus, dæmon. Ibid. Clarius l. 2. or. 17.

Roma subterranea, & substructiones à primis Christianis factæ; ob persecutiones. Aringo in Roma subterr. de persecutionibus primæ Christianitatis.

